

„Quod impossibile erat legi, eo quod infirmabatur per carnem, fecit Deus et filium suum misit in similitudinem carnis peccati et de peccato damnauit peccatum in carne, ut iustificatio legis impleretur in nobis.“⁵⁶ Nam „indulgentia“ apud Augustinum significat simpliciter remissionem peccatorum et particula „minus potest“ simpliciter pro „non potest“ accipi debet. Id quod 5 sententia Ioannis, quam allegat illic Augustinus, clare testatur: „Filioli, haec scribo vobis, ut non peccetis. Sed et si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem“.⁵⁷ Alioqui iuxta sententiam libri Interim corrigeretur dictum Iohannis in hunc modum: „Si quis peccauerit, operam dabit, ut suis operibus 10 et iustitia inhaerente sibi Deum propitium reddat et quod defuerit aduocatum habemus apud Deum“ etc. Sententia igitur Augustini nihil facit ad propositum opinionis, quae est in libro Interim.

Ibid.: „Concurrunt quidem Christi meritum“⁵⁸ etc.

Vere concurrunt, sed, quemadmodum pugnaturi solent, hastis concurrere et 15 de victoria certare. Nam si iustitia inhaerente iustificamur et, ut liber audet impudenter dicere folio 5: „vere iustificamur“,⁵⁹ nullo Christi merito iustificamur, sed, quia absurdum est sic sentire, victa iacet inhaerens iustitia, nuda, inermis et penitus extincta. Christus vincit. Tota haec doctrina Interim utcun- [90:]que suspecta, partim propter ambiguitatem, partim propter obscuritatem 20 pugnat cum doctrina Pauli ad Romanos et Galatas. Cum enim tota illa opinio sit fundata in loco scripturae deprauato, non potest stare cum scriptura. Nam quantum Deus ab homine mortali distat, tantum illius et charitas et iustitia distant a nostra charitate et iustitia. Impium est ergo tantum tribuere iustitiae nostrae quantum iustitiae Dei. Porro nihil est, quod dicit meritum Christi 25 iustitiae inhaerentis causam esse, cum iustitia inhaerens Christi meritum destruat iuxta sententiam libri Interim. Vult charitatem nostram efficere nos iustos, id est, producere qualitatem aliquam in nobis, qua iusti simus, sed quia per et propter iustitiam Christi nobis communicatam sumus iusti, nihil est, quod iusti simus propter nostram qualitatem. Autor libri Interim seducit 30 optimum imperatorem, cum ipse nec Deum, nec verae salutis rationem intelligat, sed manet in fecibus philosophiae et in mera impietate.

Ibid.: „in Christo omnia nobis sunt firmissima“⁶⁰ etc.

Quid est ergo, quod folio 7 docet ex scholastica theologia nos debere dubitare de remissione peccatorum propter nostram infirmitatem,⁶¹ cum remissio

⁵⁶ Röm 8,3f.

⁵⁷ I Joh 2,1.

⁵⁸ Augsburger Interim IV, 47; Augsburger Interim (Ulhart), B 3v.

⁵⁹ Augsburger Interim VI, 51; Augsburger Interim (Ulhart), C 1r.

⁶⁰ Augsburger Interim IV, 47; Augsburger Interim (Ulhart), B 4r.

⁶¹ Vgl. Augsburger Interim VII, 57; Augsburger Interim (Ulhart), C 2v.